



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

**XXXVII.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

hæretico mensibus 10. Post cuius mortem reuersus est. Et consti-  
tuit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret: & re-  
rum gestarum notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per  
notarios colligeretur, & in Ecclesia à clericis seruaretur. Qui etiam  
sepultus est, via Aurelia, in cimiterio Calepodii milliario 3. pridie  
Idus April. Et cessauit Episcopatus diebus 25.

## XXXVII.

**L**IBERIVS, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis 6.  
mens. 4. dieb. 8. Hic pro eo, quod noluit consentire hæresi Ar-  
rianæ, fuit in exilio annis 3. Cuius consilio **FELIX** venerabilis pre-  
sbyter in loco eius ordinatus est Episcopus. Qui inuenit duos pre-  
sbyteros Vrfacium & Valentem, consentientes Constantio Augu-  
sto Arriano, & damnauit eos in Cōcilio 48. Episcoporū. Qui Vrsa-  
cius & Valens post paucos dies zelo ducti, rogauerūt Constantiū, vt  
de exilio reuocaret Liberium. Qui cōsensit eis, vt vna tantum par-  
ticipatione communionis conueniret cum hæreticis, tantum vt  
non rebaptizaretur. Post hæc fecit Constantius Concilium cum  
aliquibus, qui ex fæce Ariana erant, & eiecit Felicem de Episcopa-  
tu, qui erat Catholicus, & reuocauit Liberium. Depositus verò Fe-  
lix 4. Kalend. Augusti, habitauit in prædiolo suo, via Portuensi. In-  
gressus quoq; Liberius in urbem 4. non. Augusti consensit hæreti-  
cis, non tamen rebaptizatus. & tenuit basilicas B. Petri & Pauli, &  
Constantinianam annis 7. Et fuit persecutio magna in urbe Ro-  
ma. Omnes itaq; anni Felicis in huius ordinatione dinumerantur.  
Sepultus tamen est Liberius via Salaria in cimiterio Priscillæ. Et  
cessauit Episcopatus dies 7.

## XXXVIII.

**F**ELIX, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno 1. mens.  
3. dieb. 2. Hic declarauit Constantium filium Constantini hæ-  
reticum, & rebaptizatum secundò ab Eusebio Episcopo Nicome-  
dienisi in villa, quæ appellatur Aquilon. Pro quo facto capite trun-  
catur cum multis clericis & fidelibus occultè iuxta muros urbis ad  
latus formæ Traianæ, 3. Idus Nouemb. Et exinde rapuere corpus  
eius Christiani, cum Damaso presbytero, & sepelierunt in basilica  
supradicta eius via Aurelia 17. Kalend. Decembr. in pace. Et cel-  
lauit Episcopatus dies 38.

R

## XXXIX.